

ganeos suos. De hoc enim locuti sumus superius, quodque amiserunt Metropolitanis, forsitan reclamantibus ipsis Episcopis, a quibus Metropolitanæ extorquebant juramentum ultra limites canonicos.

Archiepiscopus seu Metropolitanus habet jurisdictionem ordinariam circa suffraganeos suos, unde tanquam immediate Superior potest eisdem præcipere quæ pertinent ad eorum officium etiam per censuras, et supplere defectus et corrigere abusus. At in usu censurarum contra suffraganeos debet Archiepiscopus maximam moderationem et circumspectionem adhibere, nec procedere potest, nisi ex licentia s. Congr. Conc. Ita probat *Card. Petra in Const. 7. Leonis IX. n. 88.* Verum quia id potest Archiepiscopus quod ei a Canonibus est concessum, quædam capita adsignabimus archiepiscopalis jurisdictionis circa suffraganeos Provinciæ et suffraganeorum subditos. Et quoad ipsos suffraganeos, Archiepiscopus inspecto jure antiquo est judex Ordinarius, qui videt causas suffraganeorum sive civiles sive criminales; can. *Cognovimus caus. 10. q. 3. c. 11. h. t. et c. 54. de Appell.* Verum quoad causas criminales servanda est dispositio Tridentini in *c. 5. sess. 24. de Ref.* qua statuitur causas criminales majores Episcoporum reservari Rom. Pontif., minores vero in Synodo provinciali tractandas esse vel a deputatis Synodi ejusdem. Qua in re etiam attendenda est dispositio ejusdem *Conc. Tridentini in sess. 13. de Ref. capp. 6. et 7.* Scilicet Concilium Tridentinum in *cit. c. 6.* decernit, Episcopum in criminalibus judicialiter neque citari neque moneri posse ut personaliter compareat, nisi ob causam ex qua deponendus vel privandus veniret. Hoc autem constitutum est, ne Episcopus cum præjudicio dignitatis suæ vagari cogatur. In *cap. 7.* autem Concilium decernit in causa criminali Episcopi testes non esse admittendos nisi sint contestes et bonæ conversationis et famæ, testes vero deponentes ex odio, temeritate aut cupiditate gravibus pœnis esse plectendos. Ex virtute dispositionis Tridentinæ eximi non viderentur causæ civiles Episcoporum suffraganeorum a tribunali Metropolitanis; verum *Barbosa De Jur. Eccl. univ. lib. 1. c. 7. n. 46.* refert s. *Congr. EE. et RR.* diei 31. Maji 1588. respondisse Archiepiscopum non posse esse judicem in causis civilibus quæ agitantur contra Episcopos suffraganeos.

2º. Exercet Archiepiscopus jurisdictionem in suffraganeos, eorum sententias in subditos vel corrigendo vel confirmando, cum ad ejus tribunal in casu appellationis deferantur *c. 2. de Consuet. in 6.*

c. 9. h. t., c. 1. de Off. Leg. et c. 5. h. t. in 6. Hac de re locuti sumus etiam in *tit. de Suppl. neglig. Præl.*

3º. Exercebat eandem jurisdictionem Archiepiscopus concedens Episcopis suffraganeis licentiam commorandi extra Diœcesim ultra trimestre conciliare, cujus tamen concessionis rationes exponere et examinare debebat in Conc. provinciali cum aliis suffraganeis *c. 1. sess. 23. de Ref.* Ex Constitutione autem Urbani VIII. edita die 7. Octob. 1634. cognitio causarum legitimæ absentia Episcoporum reservatur Rom. Pontifici.

4º. Exercet Archiepiscopus auctoritatem in personas suffraganeorum supplendo eorum negligentiam. Et primo quidem in collatione beneficiorum. Qua in re præter ea quæ diximus in *tit. X. de suppl. neglig. Præl.* hæc pauca addimus. Si Episcopus noluerit instituere in beneficio personam a patrono præsentatam, institutio peti poterit ab Archiepiscopo. *Abb. in c. X. de Conces. Præb.* Quæ institutio si de beneficiis curam animarum adnexam habentibus agatur, intra duos menses ab Episcopo danda est, secus Patroni adire possunt Archiepiscopum vel Pontificem *Const. 'In Conferendis' S. Pii V. edita die 16. Maji 1567.* Insuper negligente Episcopo in constituendis œconomis Ecclesiarum, Archiepiscopus designabit eosdem *can. Cum simus. caus. 9. q. 3.* Pariter supplet negligentiam Episcopi visitando ejusdem Ecclesiam Cathedralē et Diœcesim totam. Et quidem cum Archiepiscopus visitat Diœcesim suffraganei sui, jura omnia consequitur Episcopi *cc. 16. de Præscript., 14. de Censib. et ult. eod. in 6.* Non poterit vero in visitatione exercere jurisdictionem contentiosam in subditos suffraganei, excepto duplici casu, idest 1º. in coercendis criminibus notoriis *cap. Romana 1. § Sane de Censib. in 6.* — 2º. Contra impediētes exercitium suæ jurisdictionis *c. 1. de pœnis in 6.* Antiquitus Archiepiscopus post completam visitationem propriæ Diœceseos, poterat visitare Ecclesiam et Diœcesim suffraganei *c. 1. de censib. in 6.* Verum in *sess. 24. c. 3. de Ref.* in Tridentino definitum est, ut Archiepiscopus non possit visitationem aggredi in Diœcesi suffraganei nisi post plene visitatam suam Diœcesim, et nisi probata fuerit causa visitationis perficiendæ in Conc. Provinciali. Tertio tandem ut alia minora omittamus, supplet Archiepiscopus Episcopi negligentiam in erectione non peracta seminarii juxta legem Tridentini in *sess. 23. c. 18. post medietatem de Ref.*

5^o. loco Metropolitanus potestatem exercet in suffraganeos, eos convocando quolibet triennio ad Concilium Provinciale *sess. 24. c. 2. de Ref.* cui concilio ipse Metropol. præest *can. Placuit dist. 18.* Antiquitus erant frequentioria hæc concilia ita ut *can. 5. Conc. Niceni an. 325.* statuerit bis in anno celebrandum esse Conc. Provinciale. En verba canonis hujusmodi 'Ut hoc ergo convenientem examinationem accipiat, recte habere visum est, ut singulis annis in unaquaque provincia bis in anno Synodi fiant.' Huic canoniconi consonat *can. 19. Concilii Chalcedonensis an. 451.* Jure Decretalium expresso in *cap. Sicut 25. de Accus.* Concilia a Metropolitanis cum propriis suffraganeis singulis annis celebrari debebant. Post Conc. vero Tridentinum Synodus Diocesana quolibet anno cogenda est; Provincialis quolibet triennio. Ita Tridentinum loco cit. Quidam arbitrati sunt tridentinum decretum de Conciliis Provincialibus celebrandis abrogatum fuisse per consuetudinem contrariam. At contra tenendum est; nam quamvis rariora evaserint concilia hæc, tamen quandoque locum habuerunt et habent. In Italia autem celebrari non debent absque licentia S. Sedis. Cæterum quoniam celebratio conciliorum Provincialium habita est a Patribus Tridentinis tanquam remedium peropportunum ad conservandam disciplinam ecclesiasticam et ad præcavendos errores in provinciis, consuetudo quæ dirigeretur ad abrogandam legem canonicam de iisdem Conciliis celebrandis, non vera consuetudo, sed potius corruptela juris esset appellanda. Dici vero fortasse potest praxim inductam contra legem tridentinam id solummodo operari ut nempe Episcopi et Metropolitanæ excusentur a culpa, si Concilium Provinciale non celebrarent diligenter juxta definitas epochas a Tridentina Synodo; præsertim cum ex praxi inducta referendi plura negotia Rom. Congregationibus præsto sit medium terminandi non paucas quæstiones quæ in Synodis prius tractabantur. At si consideremus hodiernam disciplinam, videmus præsertim in locis in quibus civile gubernium in rebus religiosis sese immiscere non solet et Episcopis libertatem actionis relinquit, Concilia provincialia iterum frequenter celebrari. Unde nostris temporibus in Anglia et in provinciis Statuum Fœderatorum Americæ plura concilia provincialia celebrata fuisse deprehendimus. Porro hanc praxim celebrandi iterum hæc Concilia ipsa S. Sedes promovet et excitat.

154. Porro jus convocandi Concilium provinciale ad Metropolitanum spectat *cap. Sicut olim 25. de Accusat., c. Quod sicut 28.*

§. *Præterea de Elect. can. Si Episcopus cum 2. seqq. dist. 18.* Convocare autem potest Metropolitanus Concilium sine auctoritate Primatis vel Patriarchæ *can. De Conciliis dist. 18. Cfr. Fagnanus comm. ad c. 25. de Accus. n. 5.* Metropolitanus autem impedito, concilium convocat Episcopus suffraganeus antiquior Provinciae. *Conc. Trid. sess. 24. c. 2.* Quæ dispositio ab auctoribus extenditur etiam ad tempus Sedis metropolitanae vacantis, ceu etiam declaratum est a *s. Congreg. Conc. in causa Tarraconen. diei 10. Februar. 1624. lib. 12. Decret. pag. 160. Cfr. Bened. XIV. De Syn. Diœc. Lib. 2. c. 9. n. 8.* Celebrari autem debet provinciale Concilium in loco intra Provinciam, quem eligit Archiepiscopus; at cessantibus validis obstaculis, celebratio facienda est in ipsa Ecclesia metropolitana. Ita *s. Congreg. Conc.* penes Fagnanum *cit. loco n. 27.*

155. Quinam vero vocandi et interesse debeant in Concilio Provinciali, declarat Tridentinum in *cit. c. 2. sess. 24. de Ref.* per hæc verba: 'quo Episcopi omnes (Provinciae) et alii qui de jure vel ex consuetudine interesse debent, omnino convenire teneantur'. Quæ verba licet solummodo expriment onus conveniendi ex parte Episcoporum et aliorum, tamen secumferunt etiam onus relativum ex parte Metropolitanum eosdem vocandi. Primo ergo vocandi sunt Episcopi. Quod si adsint Episcopi qui nulli Archiepiscopo suffragantur, ex mente Tridentini in eodem *c. 2. expressa,* debent Archiepiscopum vicinum eligere, in cujus Synodo provinciali cum aliis interesse debeant. Vocandi insuper sunt Vicarii Capitulares Ecclesiarum Cathedralium vacantium; et quidem hi cum Episcopis habent votum decisivum, quia Diœceses repræsentant. Ita probat *Ferraris Biblioth. Can. Verbo Capitulum art. 2. n. 15.* De jure autem vocandi sunt etiam Abbates Nullius, qui nempe quasi-episcopali gaudent jurisdictione. Hi enim subjiciuntur dispositioni Conc. Tridentini in *c. 2. sess. 24. de Ref.* idest tenentur sibi eligere Metropolitanum aliquem vicinum, in cujus Conc. Provinciale conveniant. Quemadmodum resolutum est a *s. Congr. Conc.* ipso summo Pontifice approbante, ceu refert *Fagnan. comm. in cap. X. De his quæ fiunt a Prælatiis n. 34.* Pariter invitari debent etiam Capitula Ecclesiarum Cathedralium *c. 10. De his quæ fiunt a Prælat.* Capitula vero hæc, vel eorum procuratores, Abbates sine jurisdictione, et aliæ Dignitates quæ pariter jurisdictione carent, habent in Concilio solummodo votum consultivum non vero deliberativum. Cfr.

Bened. XIV. De Syn. Diœc. lib. 3. c. 4. n. 1. Cæteri autem vocandi sunt qui ex consuetudine Provinciae soliti sunt convenire in Concilium.

156. Concilio præest Metropolitanus *can. Placuit dist. 18.* et Episcopi sedent juxta ordinem temporis propriae consecrationis, non vero juxta Ecclesiarum dignitatem et præeminentiam. Quemadmodum resolvit s. Cong. Conc. apud Fagnan. *com. in c. Sicut olim 25. de Accusat. n. 30.* Metropolitanus vero non habet plenum jus præsentiae in cœtu; nam procedere debet de consilio et assensu Coepiscoporum, quia suffraganei censentur esse veri judices et habent votum decisivum. Hinc si Metropolitanus est unius sententiae, suffraganei vero contrariae, prævalet suffraganeorum sententia. Immo quoniam Concilium provinciale refert indolem universitatis seu communitatis, cui præest Metropolitanus; hinc *arg. c. 1. De his quæ fiunt a majori parte Capit. ea censenda est sententia Concilii, adeoque prævalet, quæ fuerit firmata a consensu majoris partis illorum, qui suffragium habent decisivum cfr. Fagnan. cit. com. ad c. 25. de Accusat. n. 24. et 104. et Bened. XIV. De syn. Diœc. lib. 13. c. 2. n. 4.* Concilium etiam dissolvi debet a Metropolitano de consilio tamen et assensu aliorum Episcoporum. Ita resolvisse S. Cong. Conc. refert Fagnanus in eodem *Comm. n. 98.*

157. Quæri potest quænam sint tractanda in Conc. Provinciali. Regula fundamentalis deducitur ex conceptu et scopo hujus Concilii, et est ut leges statuatur et negotia pertractentur, quæ Provinciam respiciunt, nec aliarum Provinciarum jura usurpentur ullo modo. Quare 1º. Conc. Provinciale nihil addere vel demere potest in regula fidei, immo nec facile sese immiscere debet in juris controversiis definiendis, nec in quæstionibus dirimendis quæ salva fide in scholis vel inter Doctores agitantur; et ratio est quia hæc omnia non constituunt negotium peculiare Provinciae. Poterit vero Conc. Provinciale explicare quæ scitu sunt necessaria præsertim circa Sacramentorum administrationem vel susceptionem; nec non Clericos propria munera et fideles propria officia edocebit. — 2º. Abstinere debet a publicandis novis decretis, quæ juri communi vel Apostolicis Constitutionibus adversentur. Meminisse enim oportet concilia particularia habere potius potestatem applicandi et introducendi, quod alias statutum est, quam aliquid de novo constituendi. Cæterum pro necessitate vel utilitate spirituali Pro-

vinciae, synodus provincialis aliquid præter jus commune constituere potest. Potest etiam peculiaribus et novis communire sanctionibus leges generales Ecclesiae, ut melius observentur. — 3º. Non potest Conc. Provinciale quoad Regulares præterire limites adsignatos a Conc. Tridentino *sess. 25. De Regular. et Const. Gregorii XV.* quæ incipit 'Inscrutabili Dei providentia', et ab aliis Constitutionibus si quæ sunt Rom. Pontificum, ita ut si quid statuatur a Concilio ultra ea quæ in his locis juris conceduntur, non obliget Regulares exemptos. — Porro hæc tria capita constituunt potius regulam negativam, idest potius indicant quid non possit a Conc. Provinciali pertractari. Regula positiva, licet non completa, traditur, si animadvertatur ad singula capita negotiorum, quæ a Tridentino committuntur perficienda Concilio Provinciali *cit. c. 2. sess. 24. de Ref.* ubi præcipit renovari celebrationem horum Conciliorum 'pro moderandis moribus, corrigendis excessibus, controversiis componendis, aliisque ex sacris canonibus permissis'. Porro hæc quæ summario modo tradit Tridentinum explicantur per capita a *Fagnano in Comm. ad cit. cap. Sicut olim 25. De Accusationibus n. 35. et sequentibus.*

158. De approbatione Conciliorum Provincialium. — Cum antiquitus in synodis Provincialibus non raro prosciberentur hæreses recenter ortæ, mos invaluit, ut acta Synodi ad Rom. Pontificem transmitterentur cum epistola synodali ut sententia Episcoporum dogmaticum robur adipisceretur. Hanc consuetudinem etiam in hodiernis Conciliis Provincialibus quæ juxta ordinariam œconomiam causas fidei non pertractant, servandam esse voluit Sixtus V. in sua Const. 'Immensa' quæ est 117. tom. 4. Bull. Quare hodie lex est, ut acta Concilii Provincialis non debeant publicari antequam a S. Sede expendantur et recognoscantur.

159. Porro acta Conciliorum Provincialium 1º. possunt probari in *forma communi*, idest cum S. Congr. Concilii eadem expendit, corrigit si quæ minus recta vel opportuna incidant atque ita recognita restituit Metropolitæ ut vulgare eadem possit. Hæc recognitio novam non elargitur iisdem actis auctoritatem. Igitur decreta in forma simplici et communi approbata retinent valorem sanctionum Concilii Provincialis. *Bened. XIV. De Syn. Diœc. Lib. 13. c. 3. n. 4.* Hinc in alio Concilio Provinciali immutari possunt; non possunt vero a Metropolitano corrigi vel abrogari extra Synodum Provinciale; doctores vero tenent Episcopos sin-

gulos in propria Diœcesi posse in iisdem dispensare quoad casus particulares, accedente legitima causa. *Leurenus For. Eccles. Lib. 1. tit. 369. 843. n. 2.*

2º. Romanus Pontifex potest auctoritate sua acta Concilii Prov. communire expostulante Metropolitano, ceu plura dantur exempla. Quo in casu acta dicuntur probata in *forma specifica*. Quamvis vero acta hujusmodi edantur auctoritate Pontificis suffulta, ac proinde neque a Metropolitano neque ab alio Conc. Prov. sine Rom. Pontificis licentia corrigi aut immutari possint, tamen non exercent vim suam extra limites Provinciæ. Nam acta hæc confirmantur ceu acta Provinciæ, et confirmatio addit quidem robor dispositionibus et decretis synodalibus, non vero eadem extendit ad universam Ecclesiam, nisi clare id expresserit Pontifex, vel nisi quædam decreta in corpore Juris communis retulerit. Quo in casu hæc decreta nomine Pontificis universæ Ecclesiæ intimantur et tamquam leges pontificiæ universales sunt habenda; quemadmodum innuit Justinianus in *Leg. 1. Cod. De vet. jur. enucl.* 'omnia nostra facimus, quibus auctoritatem nostram impertimur'. Plura hujus rei exempla reperiuntur in Decretalibus Gregor. IX.

160. Tandem animadvertimus, antiquitus sub christiano Romano Imperio præter provincialia concilia celebrata fuisse magna quædam Concilia, quæ totam aliquam regionem repræsentabant, quæque dicta sunt 'plenaria' vel etiam 'universalia'. Tale fuit ex. gr. Conc. Carthagiense III. ann. 397. pro Africa. Ex hisce Conciliis originem duxerunt Concilia nationalia præsertim pro statibus Germaniæ, de quibus agit *Thomasinius De vet. et nova Eccl. disciplina P. II. Lib. 3. cap. 45—56.* Verum concilia hæc nunquam considerata sunt ceu elementum necessarium regiminis ecclesiastici, et præsertim postquam Primatum potestas deficere incœpit, eorundem celebratio infrequens facta est. Hinc Tridentinum *sess. 24. de Ref. c. 2.* de iisdem mentionem non facit et solummodo egit de Synodo provinciali et de Diœcesana.

161. Hæc satis sint de potestate Metropolitanæ circa personas suffraganeorum suorum. Nunc quædam de potestate ejusdem circa subditos eorundem suffraganeorum. Hac in re adnotandum est, in genere subditos suffraganeorum de lege ordinaria non subjeci jurisdictioni Archiepiscopi. Hinc ex *c. 11. h. t.* Archiepiscopus non potest compellere subditum suffraganei ad suscipiendam delegationem pro causa aliqua videnda. Peculiares vero dantur casus

in quibus Archiepiscopus directe respicit actione sua subditos suffraganeorum. Primus casus est casus appellationis a tribunali Episcopi ad tribunal metropolitanum, de quo supra. Qua in hypothesis Archiepiscopus efficitur judex ordinarius in causa ita ut possit causam delegare alteri ut eam judicet *c. XI. h. t. et c. 1. de Off. Ord. in 6.*

2º. Si subditus suffraganei querelam moveat penes Archiepiscopum de injusta excommunicationis sententia contra ipsum ab Episcopo proprio lata, Archiepiscopus re cognita remittit hunc querentem ad Episcopum ut eum absolvat; quod si Episcopus noluerit absolvere, ipse Archiepiscopus eundem absolvere poterit, recepta cautione juratoria de satisfactione peragenda; quam nisi peregerit, excommunicationem contra eum Archiepiscopus renovabit *c. 8. h. t. et c. 25. de Appell.* Quod si sententia Episcopi fuerit evidenter injusta, poterit Archiepiscopus auctoritate sua declarare eandem irrationabiliter fuisse prolatam *c. 54. § Si vero notorium. De Appell.*

3º. Archiepiscopus exercet potestatem in subditos suffraganeorum mittendo quæstores eleemosynarum per totam Provinciam pro fabrica Ecclesiæ metropolitanæ, qui tamen quæstores vim solum deprecativam et non coactivam possunt exercere *c. 1. De Penit. et remiss. peccat. in 6.* Porro animadvertendum est hoc jus metropolitanorum non fuisse destructum a Conc. Tridentino in *c. 2. sess. 5. et in c. 9. sess. 21. de Ref.* Nam ibi aboliti dicuntur solummodo quæstores indulgentiarum. — 4^{us} casus exercitii jurisdictionis metropolitanæ in subditos suffraganeorum est in pastoralis visitatione, quam Archiepiscopus complet in defectu Episcopi. — 5º. Quoad Regulares potest Archiepiscopus ceu delegatus Apostolicæ Sedis pro tota sua Provincia superiores regulares obligare ut advigilent ne in parœciis adnexis propriis monasteriis prædicatio Verbi Dei negligatur *c. 2. sess. 5. de Ref. § Si quæ vero.*

De Episcopis.

162. Post Metropolitanos in præsentis titulo De Episcopis agendum est qui habent populum proprium et propriam jurisdictionem ex titulo pastoralis super gregem suum. Episcopatus in genere inspectus, haberi potest ceu continuatio missionis, quam Christus Dominus contulit Apostolis pro Ecclesia sua. Hinc s. Irenæus 'Contra hæreses' IV. 25. scribebat 'Quapropter eis qui successio-

nem habent ab Apostolis, sicut ostendimus, obedire oportet'. S. Cyprianus autem ep. 69. scribit de Episcopis 'Qui Apostolis vicaria ordinatione succedunt'. Et Tridentinum *sess. 23. c. 4.* de Episcopis ait 'Qui in Apostolorum locum successerunt'. Quare Episcopi ex divina Christi institutione procedunt, et a Spiritu sancto censentur positi, ut Ecclesiam Dei regant Act. XX. Episcoporum ergo potestas est de jure divino.

163. Porro episcopalis potestas dividitur in eam quæ dicitur ordinis, et eam quæ est jurisdictionis. Et quidem potestatem ordinis, quoniam ex caractere episcopali derivat, parem habent Episcopi cum Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis et cum ipso summo Pontifice. Ex potestate ordinis Episcopus in sua Diœcesi administrat omnia sacramenta et sacramentalia, idest omnes illos ritus s. liturgiæ qui instituti sunt ad modum sacramentorum, et licet non conferant ex opere operato gratiam quam significant, tamen et deprecationis ecclesiasticæ formam habent, et ad excitandas in fidelibus pias et religiosas dispositiones plurimum valent. Hinc potest Episcopus Abbates solemniter benedicere, Reges ungere, Virgines consecrare, dedicare ecclesias et altaria, benedicere campanas et sacras vestes, benedicere imagines Christi, Deiparæ et Sanctorum, et alia hujusmodi peragere potest, de quibus in Pontificali Romano.

164. Hæc vero potestas ordinis alia est quæ dependet a caractere episcopali, alia characterem hunc necessario non requirit. Prior constituitur præsertim in tribus, nempe in confirmando, in ordinando, in consecrando. Quare Episcopus est qui sacramenta Confirmationis et Ordinis confert. Hæc Episcopus exclusive habet ad Presbyteros, eaque perficere nequit ante suam consecrationem; potest vero committere alteri Episcopo ut ejus vice eadem compleat *c. 11. de Elect.* Ad potestatem consecrandi ex ecclesiastica institutione ad ordinem episcopalem pertinet 1°. Chrismatis consecratio *can. Quamvis dist. 60., can. Literis De Consecr. dist. 3., can. Si quis alio De Consecr. dist. 4.* — 2°. Ecclesias et altaria dedicare et eadem reconciliare, si fuerint polluta, *can. Perlectis dist. 25., cit. can. Quamvis et cap. 9. de Consecr. Eccl. vel Altar.* — 3°. Campanas benedicere et Chrismate ungere, necnon calices et patenas consecrare.

165. Quoad potestatem Episcopi administrandi sacramenta in tota Diœcesi, animadvertendum est, ipsum posse non solum valide

sed etiam licite omnia sacramenta administrare; nam fideles præcipue ejus curæ sunt commendati et tota Diœcesis dicitur esse Parochia Episcopi; immo aliquando si necesse sit, curam animarum ceu Parochus exercere tenetur Episcopus in aliqua civitate vel oppido suæ Diœceseos *arg. can. Illud dist. 95.* Verum animadvertendum ex alia parte est, ipsa dispositione juris alios præter Episcopum in Diœcesi constitutos esse inferiores pastores, qui ex officio idest ex potestate ordinaria sortiuntur munus et obligationem administrandi quædam sacramenta. Pastores isti præsertim sunt Parochi. Dixi præsertim, quia datur Canonicus Pœnitentiarius qui munus obtinet excipiendarum confessionum. Qua posita dispositione juris, certe non plene ordinata et juri consona videretur agendi ratio Episcopi, si ipse continuo et ordinarie loquendo sese immisceret in exequendis officiis Parochorum, omnium sacramentorum administrationem sibi reservans. Quare melius est ut abstineat ab administrandis sacramentis quæ ad officium Parochorum spectant nisi adsint rationes et circumstantiæ peculiare; et operam suam consecret gravioribus negotiis Diœceseos persolvendis juxta exemplum Apostolorum, qui ut Verbi Dei prædicationi insisterent, Diaconis commiserunt administrationem mensarum.

De jurisdictione Episcopi in sua Diœcesi.

166. Apostolis ad exercitium propriæ potestatis fines determinati non sunt, sed missi fuerunt a Christo eadem potestate qua ipse a Patre missus fuerat, ut omnes gentes edocerent, baptizarent et ad finem supernaturalem, idest ad vitam æternam perducerent. Verum ipsi Apostoli civitatum constituerunt Episcopos. Sic ex gr. Paulus Titum Cretensi Ecclesiæ præfecit: ad Tit. I. etc. Quare ex antiquissima ordinatione factum est, ut singuli Episcopi regerent particulares Ecclesias, ita ut eorum potestas coaretaretur intra fines determinati territorii *can. apost. 34. can. 6. et 7. caus. 9. quæst. 2.* (ex Conc. Antioch. an. 332.) et *can. 27. caus. 7. q. 1.* (ex Conc. Carth. 3. an. 397.) *Conc. Trid. sess. 6. c. 5. de Ref.* Quare forma concreta regiminis ecclesiastici ita constituta est, ut ecclesia universalis divideretur in particulares ecclesias quæ appellatæ sunt Diœceses, quibus singulis præficeretur proprius Episcopus. A tractatoribus autem Juris Publ. Eccl. probatur ad solum Rom. Pontificem spectare auctoritatem novas instituendi Diœceses, veteres dividendi vel coarctandi. Porro eo ipso quod Episcopus legitime

positus est in regimine suæ Ecclesiæ, jure divino potestatem regendi fideles ad eandem ecclesiam pertinentes assequitur. Obtinet Ecclesiam in titulum, et jure proprio et ordinario eandem potestatem exercet. Verum ut Episcopus legitime positus censeatur in gubernio suæ Ecclesiæ indiget missione legitima. Hæc autem missio conceditur a Romano Pontifice, qui solus eo ipso quod est canonice assumptus, habet potestatem regendi totam Christi Ecclesiam vi successionis divinæ in locum Petri, adeoque immediate a Deo potestatem recipit. Episcopi ergo missionem obtinent mediate a Deo, immediate a Rom. Pontifice. Hinc explicatur illa formula, qua utuntur Episcopi 'Dei et Apostolicæ Sedis gratia'.

167. Quid vero venit sub nomine hujus potestatis? Diffusa admodum est penes auctores hujus rei tractatio. Claritatis gratia ad aliqua capita hæc potestas redigi potest. Episcopus habet auctoritatem et munus 1^o. docendi, 2^o. jubendi, 3^o. judicandi, 4^o. corrigendi et puniendi, 5^o. administrandi.

Episcopi Apostolorum successores, eorum munia hæreditarunt. Jam vero ut ex Actis Apostolorum legimus Apostoli ceu proprium et præcipuum officium esse agnoverunt munus prædicandi Verbum Dei. Hinc etiam Episcopus in sacris canonibus consideratur ceu verus Evangelista et doctor in sua Diœcesi. Et quidem Episcopus potest prædicare Verbum Dei non solum in Ecclesiis et locis sibi subjectis, sed etiam in Ecclesiis Regularium ita ut ab alio prohiberi nequeat. Ita pluries respondit S. Congr. super negotiis Episcoporum et Regularium, ceu refert *Bened. XIV. De Syn. Diœc. Lib. 9. c. 17. n. 7.* Hæc autem pars muneris episcopalis secumfert ipsum Episcopum teneri ad munus ministerii Verbi Dei exequendum, et nullum alium posse prædicare Verbum Dei in Diœcesi absque ejus consensu vel saltem eo invito. Et quidem ex dispos. *c. 15. h. t. et c. 2. sess. 5. de Ref.* tenentur Episcopi per se ipsos si legitime impediti non fuerint ad prædicandum sanctum Dei Evangelium. Si autem impediti fuerint, tenentur assumere viros idoneos, qui munus prædicationis salubriter exequantur. Hanc vero dispositionem temperans idem *Trid. in c. 4. sess. 24. de Ref.* statuit, Episcopum in sua ecclesia idest in Cathedrali per se ipsum implere debere munus prædicationis, et si fuerit impeditus, per alios idoneos munus exequi debere, in aliis vero ecclesiis per parochos. Adeo autem tenentur Episcopi sive per se, sive ipsi impediti per alios prædicationis officium exequi, ut nulla consue-

tudine aut contraria praxi possint ab hoc onere sese eximere. Consuetudo enim esset contra præceptum divinum *c. 1. sess. 23. de Ref.* ac proinde dicenda esset corruptela juris *c. cum venerabilis et c. fin. de Consuetudine.*

168. In *cit. c. 4. sess. 24.* sermo est etiam de Parochis, qui in Ecclesia sibi commissa onus habent prædicandi Verbum Dei. Insuper ex dispositione *cap. 1. sess. 5. de Ref.* etiam Canonicus Theologus obtinet munus prædicationis. Verum horum officium subest Episcopi vigilantia, qui diligenter incumbet ut hi tum quoad adsignata tempora tum quoad sanctitatem et veritatem doctrinarum rite munere suo fungantur.

169. Quoad alios concionatores, Episcopus habet intentionem fundatam in jure, ut nempe ad ipsum pertineat potestas eos designandi *sess. 24. c. 4. de Ref.* 'quos ad prædicationis onus assumet'. Hinc electio concinatorum sive in Cathedrali Ecclesia sive in aliis inferioribus ex jure communi ad Episcopum spectat. Quoad vero Regulares in *c. 2. sess. 5. de Ref.* constitutum est illos assumi ex approbatione et licentia Superioris proprii, antequam vero in Ecclesiis proprii Ordinis prædicent, eos teneri personaliter cum accepta Superioris licentia se coram Episcopo præsentare et ab eo benedictionem petere. In ecclesiis vero quæ suorum Ordinum non sunt, Regulares præter licentiam suorum superiorum, debent exposcere licentiam etiam Episcopi. Quod si regularis in ecclesia sui, vel alterius Ordinis errores aut scandala disseminaverit, Episcopus eidem inhibere potest prædicationem. Quod si hæresim docuerit, Episcopus in eum procedere potest non obstante exemptionis privilegio, tanquam Sedis Apostolicæ delegatus *cit. loco c. 2. sess. 5. de Ref.* Quæ omnia cum non viderentur sufficere ad protuendum jus Episcopi prædicandi Verbum Dei et sanctitatem doctrinarum; iterum discussio negotio in *c. 4. sess. 24. de Ref.* sancivit Tridentinum ut 'Nullus sæcularis, sive regularis, etiam in ecclesiis suorum Ordinum contradicente Episcopo prædicare præsumat.

170. Præterea ad munus docendi Episcopis proprium pertinet etiam jus et officium ut fidei catechismo rudes et præsertim pueri imbuantur (*cit. sess. 24. c. 4.*). Qua in re præ oculis haberi debet Const. Bened. XIV. *Etsi minime* diei 7. Febr. 1742. in qua præscribitur usus catechismi parvi a Ven. Card. Bellarmino exarati. Præ oculis etiam habenda est Encyclica Pii IX. quæ incipit *Nostis* diei 8. Dec. 1849. directa Archiepiscopis et Episcopis Italiae. Ani-